





8. 10.

16

2. D. B. V.

1711 19

IVDICIA ERVEDITORVM

DE

PRINCIPIO IVRIS NATVRALIS

CVM VERA SENTENTIA COMPARATA,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS SAXONICI
HEREDE &c. &c.

PVBLICAE DISPV TATIONI,

PRÆSIDE

DN. M. IOANNE GVIL. IANO,

ORD. PHIL. ADI.

PATRONO AC STVDIORVM SVORVM AMPLI-

FICATORE AETERNVM COLENDO ET OBSERVANDO,

EXPONIT

M. CHRISTIAN SAMVEL CLARVS,

VITEMBERGENSIS.

A .M. DCC XI. d. Martii.

VITEMBERGÆ PRELO KREVSIGIANO

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTS-
ZVHALLE

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTS-
ZVHALLE



Iniquum et Philosopho indignum iudicium est, quo omnia honesta et iusta adeo incerta et ambigua existimantur, ut non natura constituta sint, sed a lege tantum, opinione et arbitrio hominum pendeant, atque adeo non demonstrationem, sed vix per suasionem aliquam admittant. Quam sententiam ipsi Aristoteli Pufendorffius de I. N. et G. L. I. C. 2, adscribit. Sed quod pace huius dixerim, Aristoteles Eth. 1. c. 1. (ad hunc enim locum imprimis prouocatur) non generatim de omnibus, sed de iis tantum honestis et iustis loquitur, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται. Hoc uero in diuersis ciuitatibus diuersissimum esse, quis negauerit? Ceterum famosam illam Carneadis sententiam, qua nihil natura honestum indicatur, non modo non approbat, sed et contrarium aperte docet, ius scil. naturale, ubique eandem uim obtinere, non, quia ita uidetur uel non uidetur, πανταχῶς τὴν αὐτὴν ἔχειν δύναμιν, ἣ τῶ δόκειν, ἢ οὐ. Eth. V. 7. 10.

Sed quocumque modo ista se habeant, nos certe utilissimae morum disciplinae aequae certa principia ac Philosophiae speculatiuae, adeoque nec minus certas conclusiones ac demonstrationes uindicare nulli dubitamus. Detur licet, scientiam, quae uocari solet, totalem ac disciplinarem a prudentia ratione finis esse distinctam, dum illa nudam speculationem, haec actionem sibi propositam habet: Concedatur etiam, in obiecto utriusque diuersitatem aliquam deprehendi, dum illa in rebus necessariis explicandis, haec in contingentibus atque ab hominum libertate pendentibus uersatur: tamen ratione demonstrationis nullum prorsus inter utramque discrimen agnoscimus. Imo si scientiam non tam ex necessitate subiecti incomplexa, quam ex necessitate totius propositionis complexa, hoc est, ex necessario extremorum nexu aestimemus, eamque pro singularum demonstrationum effectu accipiamus, ne hanc quidem demonstrationibus moralibus denegandam esse, Pufendorffio largiri possumus.

Esti uero hoc plerique omnes hodie consententur, et eo ipso potissimum nomine recentiorum Iurisprudentiam naturalem antiquiorum de uita et moribus doctrinae longe praeferendam esse, iudicent, quod certo cuidam principio ac fundamento ab illis tantum non prorsus neglecto demonstrationes morales superstruat: tamen, quale illud sit,

fit, uehementer inter se dissentiunt, ut propemodum quot auctores, tot sententias numerare liceat. Quoniam autem ex diuersarum opinionum cum uera sententia comparatione in argumento quodam dubio ueritas optime perspicitur, propositum nobis est, praecipua eruditorum de Principio Iuris Naturae iudicia ita colligere, ut simul, quid de singulis habendum, et quod tandem ceteris praefarendum sit, perspicue intelligatur. Omnia autem tribus potissimum capitibus complectemur, quorum primo nobiliores et famosiores de Principio Iuris Naturae sententias ipsis auctorum uerbis repetitas, ut alia ex alia incidet, recensebimus, atque adeo eadem opera simul, quae ad historiam huius controuersiae spectant, proferemus: secundo statum controuersiae perspicue proponemus, in eoque simul et opiniones minus probandas remouere, et probatioribus cum nostra sententia conciliare conabimur: tertio denique sententiam, quae uerissima ac caeteris praeferenda uidetur, certis rationibus confirmabimus. Ceterum tamen si aliis, qui iam pridem in hoc argumento elaborarunt, maiorem ingenii laudem haud inuiti relinquemus, licet tamen nobis eorum uestigia sequentibus, partim ea, quae sparsim alioquin de eo leguntur, sub unum quasi conspectum reuocare, partim optima quaeque iudicio nostro seligere, partim denique recte traditis, sicubi uisum fuerit, nonnihil adiungere. Vnde L. B. nostra cum aliorum scriptis conferens, et diuersum institutum, et praeter titulum saepe non multa communia deprehendet.

CAP. I.

Diversa de Principio I. N. iudicia complectens.

§. I.



Rae ceteris famosa est opinio Hobbesiana, sed a diuersis diuersi mode accepta et explicata, quam adeo uel propterea recte intelligere operae pretium uidetur. Itaque ipsis Hobbesii uerbis eam describemus. *Mensura*, inquit ille, *Iuris est VTI-LITAS*, in Elem. de Cive L. I. C. I. art. 10. Si quae-
 ras,

ras, quid ipsi sit utilitas, eam per *conseruationem sui* explicat, atque adeo *Iuris naturalis fundamentum primum esse*, affirmat, ut quisque uitam et membra sua, quantum potest, tueatur. art. 7. Neque uero talem utilitatem intelligit, qualem Cicero ab honestate seiunctam esse, negat, et cuius ab ista separationem Socraticam execrari solitum fuisse, testatur; sed ex proprio cuiusque iudicio, etiamsi iis tantum, quae ante pedes sunt, et in praesentia iucunda uidentur, attento aestimatam: Hinc art. 9. addit: *Verum media, quibus usus quispiam est, et actio, quam acturus est, ad conseruationem uitae et membrorum suorum necessariae sint, nec ne, ipse Iure naturali Iudex est.* Imo nullum contra Ius Naturae peccare, putat, nisi qui id expetit, quod ne ipse quidem sibi utile aut accommodatum esse, iudicat. Annot. ad art. 10. Cum autem fieri possit, ut aliquis ad sui conseruationem uel utilitatem accommodata existimet ea, quae alius etiam expetit, aut sibi uendicat, hinc non posse non oriri bellum, neque hoc simplex, sed omnium in omnes, idque iure naturae concessum, iuxta art. 12. Omnia haec coniungit, et quomodo unum ex altero sequatur, uelut in compendio ostendit in Annotatione ad art. 10. quia inquit, in quibusdam casibus conclusionis claritas praemissurum memoriam expellit, contrabere argumentum uolo, unoque intuitu oculis conspiciendum subiicere: *Vnicuique Ius est se conseruandi per art. 7. eidem ergo ius est omnibus utri medijs ad eum finem necessarijs, per art. 8. Media uero necessaria sunt, quae ipse talia esse indicabit, per art. 9. Eidem ergo ius omnia facere et possidere, quae ipse ad sui conseruationem necessaria esse indicabit etc.* Add. Leuiathan Cap. 13. seqq.

§. II. Neque uero Hobbesius primus nec nouissimus est huius sententiae auctor. In eadem enim haeresi olim fuisse perhibentur Cyrenaeici, praecunte Aristippo, qui ut cum Hobbesio nihil natura, sed omnia tantum lege et consuetudine iusta, honesta uel turpia esse, defendit, ita neminem, dum utilitati suae consulat, peccare pronuntiauit. Legatur Laertius in Aristippo p. m. 149. 153. et 154. Idem sine dubio sibi uolebant Epicurei, omnia

utilitate sua metientes, quorum sententiam non male exprimit Cicero, quando ad Trebatium, quem Epicureum factum esse, acceperat, ita scribit: *sed quoniam modo ius civile defendes cum omnia tua causa facias, non civium, ubi porro illa eris formula fiduciae, ut, inter bonos bene agere oportet? quis enim est, qui facit nihil nisi sua causa? Quod ius statues communi diuidendo, quum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia uoluptate sua metiuntur?* Epist. XII, L. VII. Neque aliud spectauit famosissimus hoc nomine Carneades, dum iura sibi homines pro utilitate sanxisset, affirmat, apud Lactantium Diuinarum Instit. Lib. V, C. 16. Apparet autem, hos omnes, si rem ipsam reputes, omne ius naturae funditus sustulisse, nec quicquam fere, praeter inane nomen reliquisse.

§. III. Inter recentiores non multum ab hac sententia abhorre uidentur, qui VITAE HVMANAE FELICITATEM, uel SVI CONSERVATIONEM pro principio Iuris naturalis agnoscunt. Inter hos eminent celeb. Christianus Thomaeus, qui, repudiata, quam antea saepe defenderat, sententia de socialitate hanc propositionem tanquam fundamentalem substituit: *facienda sunt, quae uitam hominum reddunt et maxime diuturnam et felicissimam*, Fundam. I. N. et G. L. I, C. VI, §. 21.

§. IV. In eo tamen, quod dissimulandum non est, ab Hobbesio huius sententiae assertores discedunt, quod utilitatem siue felicitatem uitae humanae non proprio cuiusque affectu et impetu, id tantum, quod in praesentia iucundum est, tanquam bonum et utile appetentis, sed rectae rationis iudicio in futurum quoque prospiciente, et communibus omnium commodis consulente metiantur. Discrimen utriusque utilitatis accurate explicat Pufendorffius de I. N. et G. L. II, C. III. §. 10.

§. V. Interim ne haec quidem sententia noua est, sed praeter ceteros Philosophos antiquos, quorum testimonia collegit Gassendus Ethices Lib. II, C. 6, et 7, inprimis Epicuro, in eo etiam forsan discipulis suis cautiore probata fuit. Hic enim, si Gassendo fides est, dum ius naturae utilitate definiuit, ad eam uti-

utilitatem respexit, ob quam pacta inita sunt, quibus communis omnium securitas et commoditas uitae continetur. Leg. Ethica eius Tom. II Opp. p. 295. et Syntagma Philosophiae Epicureae Cap. 25. 26. Tom. III Opp. p. 87. seqq.

§. 6. Plurium suffragio excepta et comprobata est sententia a Pufendorffio praecipue exulta atque defensa, quae SOCIALITATEM fundamentum legis naturalis constituit. Quid uero per hanc intelligatur, iterum ipsius Pufendorffii, quam meis uerbis exponere malo. Postquam enim ille de I. N. et G. L. II, C. 3. §. 14. Societatem generi humano maxime propriam, naturalem ac necessariam esse demonstrauit, §. 15 ita pergit: *Inde fundamentalis lex naturae isthaec erit: cuiuslibet homini, quantum in se, colendam et conseruandam esse pacificam aduersus alios Socialitatem. Ex quo consequitur, quia, qui obligat ad finem, simul obligare intelligitur ad media, siue quibus finis non potest obtineri, omnia, quae ad istam socialitatem necessario faciunt, iure naturali praecepta, quae eandem turbant aut abrumpunt, uetita intelligi. Istanc uiam eruendo iuri naturali non planissimam solum esse, patet, sed eandem maxime genuinam et propriam, plerique sapientum magno consensu agnoscunt.* Add. praef. sub fin. Fufius ista persequitur in Elem. Iurisprud. Vniuersalis L. II, obl. 4. et repetit Lib. de Off. H. et C. L. I. c. 3. Ceterum obseruatu digna est restrictio, quam L. II de I. N. et G. C. III, §. 19. addit, dum *hoc principium deducendi iuris naturalis ita sufficiens et adaequatum esse, affirmat, ut non sit ullum praeceptum iuris naturalis NB. alios homines spectans, cuius ratio non ultimo exinde petatur.* In quo sine dubio Hugonem Grotium secutus est, qui in Prolegom. de I. B. et P. §. 8. Societatis custodiam fontem iuris naturalis strictè dicti seu socialis esse, affirmauit.

§. VII. Veterum Philosophorum hac in re suffragia colligere uel propterea superuacaneum uidetur, quod ipse Pufendorffius l. c. ea satis diligenter conquisiuerit. Inter recentiores autem praeter multos alios sententiam Pufendorffianam laudauerunt uel defenderunt Boeclerus Comment. in Grotium p. 4. 48. et

48. et 57. Guil. uan der Muelen Annot. ad Grot. Proleg. Kulpisius in Collegii Grotiani Exercit. I, §. 7. 8. Io. Nicolaus Herzius in Diss. de Socialitate primo Iuris naturalis Principio, Commentationibus eius de Selectis et rarioribus ex Iurisprudencia uniuersali publica etc. argumentis inserta. Ludouici in delineatione Historiae Iuris naturalis et Positiui aliique.

§. VIII. Perperam uero nonnulli, quod ille tantum de Iure erga alios intellectu n uoluit, eo extendunt, ut non tantum officia erga se ipsum, sed et erga DEVM ex eodem principio deducant. Qui, nisi a semetipsis magnopere dissentire uelint, omnem amorem complacentiae erga DEVM ex lumine naturae cognitum tollant, pietatem naturalem sola utilitate metiantur, atque adeo prauam et corruptam philautiam, qua DEVM nec per se, neque supra omnia amare tenemur, inducant, necesse est. Neque uero propter societatis leges DEVS colendus, sed potius propter DEI cultum sincerum, etiam societatis leges obseruandae sunt, ut recte monet Strimesius Orig. Mor. diss. III, p. 99. Tantum ergo abest, ut hos Pufendorffii defensores bene de eo meritos putem, ut potius sua culpa causam eius in odium et inuidiam adduxisse uideantur. Certe Pufendorffius ipse obiectionem de officiis erga DEVM multo aliter soluere conatus est, ea scilicet a Iure naturae profus excludendo. Putat enim, *religionem naturalem natiuam uelut sedem in disciplina Iuris naturae non sortiri, sed ex Theol. Morali uel prima Philosophia mutuo peti*, in Spic. Controu. C. V, §. 25. Quo iure, hic quidem non est disputandi locus.

§. IX. Multa uero post Zieglerum, Osiandrum, Zentgrauium, Schairrockium aliosque contra opiniones hactenus recensitas disputant, et cum socialitati, tum utilitati, siue propriae, siue communi, siue uerae, siue speciem eius mentienti reiectae solam VOLUNTATEM DEI, ut primum Iuris naturalis principium substituunt Henricus et Samuel Cocceii, ille in Positionibus pro explicatione Iuris gentium, hic in dissert. de Principio Iuris naturae unico, uero et adaequato anno 1699. sub celeb.

Pa-

Patris praesidio habita, et postea cum uindictis anno 1702. Francofurti edita. Sententia eorum huc fere redit: uoluntatem DEI esse uel permittentem uel praecipientem, ex illa uirtutem et honestatem (rectius forsan dixissent aequitatem, facultatem uel ius concessiuum) ex hac ius et necessitatem oriri. Ius enim et uirtutem ita distinguunt, ut illud necessario obseruandum, hanc in arbitrio hominis positam esse, putent: unde non ex Iuris, sed ex uirtutis exercitio praemia, contra autem non ex huius, sed ex illius neglectu ac uiolatione poenas pertimescendas esse, contendunt. Legatur Tr. de Principio Iuris nat. P. I, quaest. 3. p. 50. seqq. Non nisi prior uoluntas ipsis Iuris naturalis principium est, idque primum et ultimum, adeo, ut nulla prorsus alia ratio, quamobrem aliquid Iure naturae praeceptum uel ueritum sit, reddi possit, quam quia DEVS sic uoluit. Hoc eo extendunt, ut non tantum bonitatem et malitiam intrinsecam, quam H. Grotius et alii actionibus quibusdam humanis tribuunt, reiiciant (uid. quaest. 2. §. 40. seqq.) sed et ipsum discrimen inter legem diuinam naturalem et positiuam uniuersalem funditus tollant: quod tamen nec a Pufendorffio, nec ab ullo alio obiectiuae, quae dici solet, moralitatis oppugnatore factum memini: nisi eos forsan exceperis, qui nullum prorsus Ius diuinum agnoscunt. Ne quis, celeberrimis Viris alienam sententiam affingi, putet, ipsa eorum uerba adiungo, quae in Prooemii §. 3. ita leguntur: *Nec propriam seu peculiarem speciem facit, quod quidam fingunt, Ius diuinum forense uniuersale, quo etiam prohibitiones nuptiarum referre solent Lauterbachius et Grotius. Aut enim DEVS (a quo Ius hoc constitutum esse oportet, quia diuinum dicitur) uoluit, ut ad omnes homines hoc Ius pertineret, et erit ipsum Ius morale seu naturale, quod nihil aliud est, quam quod DEVS humano generi constituit: uel ut saltem ad quosdam, et ita non erit Ius uniuersale, sed particulare et forense. Et nonnullis interiectis §. 5. nullam uideo differentiam inter Ius naturae et Ius diuinum uoluntarium (contra Grotium in Prolegom. §. 12. et L. I, Cap. 1, §. 13. et 15.) quia Ius naturae nihil aliud est, quam DEI uoluntas.*

B

§. X.

§. X. Hanc DEI uoluntatem immutabilem quidem, non tamen indispensabilem, facere uidentur, quando e. g. Incestum liberorum Adami, parricidium Abrahamo, furtum Israelitis mandatum, DEVM ab aeterno *excepisse*, putant. Ita enim quae II, §. 41. p. 39. scribunt: Nec obstant illa exempla, quae ex Scriptura S. afferri solent, et mutationem diuinae uoluntatis prae se ferre uidentur, uti cum incestus permittus est liberis Adami, nuptiae cum defuncti fratris uidua, Deut. XXV. parricidium Abrahamo, furtum Hebraeis etc. Nam Resp. hos casus nunquam DEVM prohibitos uoluisse, sed ab omni acuo excepisse.

§. XI. Multa hic essent monenda, in quibus nec uindictae satisfacere uidentur. Sed quae ad praesens institutum pertinent, infra excutiemus, reliqua uero, quae ab eo remotiora sunt, consulto praetermittimus, et prudenti Lectori diiudicanda relinquinus.

§. XII. Ceterum quod ad ipsum hoc principium I. N. attinet, Dni Cocceii non primi, sed nouissimi potius eius assertores fuerunt. Nam, ut antiquiores nunc taceam, in eandem sententiam Samuel Rachelius de Iure N. et G. Diss. I n. 120. scribit: *Si allubescat unum summum Principium Iurium naturae seu praeceptorum uirtutis constituere, non erit illud aliud, quam hoc: Voluntas humana agendo se conformare debet uoluntati diuinae. Hoc se in duo capita uicissim diuidit. Vel enim uult DEVS, ut quaedam faciamus, uel ut non faciamus: Itaque recta ratio mox colligit, honesta facienda, et turpia fugienda esse.* Neque aliud mihi spectare uidentur, qui *finem a Creatore intentum* pro illo uenditant. Quid enim aliud est finis intentio, quam uoluntas circa finem occupata, et, si efficax sit, media eo spectantia uergens? sub hac autem loquendi ratione eam opinionem inprimis defendit Autor de Principiis Iusti et decori pag. 114. seqq. quem Samuel Pufendorffius de I. N. et G. L. II, C. III, §. 12. refutat.

§. XIII. Singulare institutum esse uidetur D. Valentini Alberti, qui ex STATV INTEGRITATIS atque RELIQVIIS
IMA-

IMAGINIS DIVINAE Ius naturae deducere conatus est, in Compendio Iuris naturae orthodoxae Theologiae conformato Lipsiae A. 1678. ed: Huius sententia ut paulo diligentius explicetur, quam ab iis fieri solet, qui nunquam inspectis Auctorum scriptis, tantum relata referunt, obseruandum I. quid per Statum integritatis siue imaginem DEI eiusque reliquias intellectum uelit. II. quomodo praecepta siue leges naturales inde deducat.

§. XIV. Quod ad prius attinet, distinguit P. I. C. II. §. 1. inter partes principales imaginis diuinæ, quae ad uitam spiritualem pertinent, ut notitia boni et mali exquisitissima, et cupiditas ac vis agendi salutariter et exacte secundum uoluntatem DEI: et inter minus principalia, quae ad naturalem siue civilem uitam spectant, ut eximia rerum scientia in intellectu, uirtutes in uoluntate, tum etiam immortalitas, immunitas dolorum una cum dominio in creaturas. Priores partes totas erita amissas esse, affirmat, ut uiribus humanis nec minima ex parte recuperari possint, adeoque eas a Philosophia etiam Christiana prorsus remouet. Ex posterioribus autem saltem scientias intellectus & uirtutes uoluntatis quodammodo recuperari posse, affirmat, idque ope principiorum theoreticorum et practicum, quae, tanquam reliquiae imaginis diuinæ, nobis supersunt. Ex omnibus potissimum principia practica ad praesens institutum pertinere, concludit §. 5. Interim tamen ex reliquis etiam partibus minus principalibus (α) libertatis, (β) dominii, in ipsos etiam homines extensi, (γ) socialitatis, (δ) ἀνταρξίας, et (ε) φιλαυτίας uestigia residua esse, ostendit, in quibus perficiendis Ius naturae uerfetur §. 7. De his ergo accipienda sunt, quae Cap. I, §. 14. p. 28. scribit: *Fons, e quo a Christianis pura Iuris naturalis notitia hauriri potest ac debet, est orthodoxa doctrina de statu integritatis.* et §. 33. p. 44. *Status integer manet principium Iuris naturalis. Nimirum DEI prouidentia et benignitate fit, quod post lapsum in rer reliquias imaginis diuinæ nobis ea conuascuntur principia practica, quae non tantum in eodem genere actionis moralis, esse in*

minori gradu, hodie possunt obseruari, sed et ad eas actiones, quae status corrupto sunt propriae in eodem ualore extendi.

§. XV. Quod si iam, qua ratione praecepta Iuris naturalis hinc deriuari possint, requiras, §. 56. seqq. has propositiones siue regulas, quas uocat, suppeditat:

I. *Quicquid ad statum integritatis orthodoxe expositum hodie in moralibus ex aliqua parte recuperandum pertinet, uiribusque naturae recuperari potest, id iure naturali praeceptum est, ideoque nobis faciendum.*

A. e. g. Concordia etc. E.

II. *Quicquid a statu integritatis orthodoxe exposito nos hodie in moralibus magis magisque abducit, uiribusque naturae declinari potest, id iure naturali prohibitum est, ideoque omittendum.* Atqui e. g. Inobedientia in omnibus societatibus etc. E.

III. *Quicquid ex hypothesis status corrupti necessario fit, id iuxta analogiam status integri orthodoxe expositi ius naturae fieri iubet.* Vnde concludit e. g. tutelam pupillorum instar curae paternae administrandam esse. etc.

IV. *Quicquid ex hypothesis status corrupti factu necessarium est, aut esse uidetur, et iuxta analogiam status integri orthodoxe expositi fieri nequit, illud iure naturae prohibitum est.*

§. XVI. Quoniam uero facile animo praecipere poterat obiectionem de obscuritate huius principii, utpote ex sola reuelatione cogniti, illi §. 18. 19. occurrit distinctione inter Philosophiam Paganam et Christianam, item inter huius theses et hypotheses siue praesupposita. Non ad Philosophiam practicam paganam, imo ne quidem ad philosophiae Christianae theses, sed tantum ad huius hypotheses se statum integritatis referre, testatur.

§. XVII. Quod si rem accuratius mecum reputo, nihil aliud Vir optimus docuisse uidetur, ac illi, qui rectam rationem principium Iuris naturalis constituunt. Hoc uno tantum ab iis se distinguit, quod simul in originem rectae rationis inquirat, eamque, ut residuam imaginis diuinae particulam, ex ista tanquam

quam norma sua aestimandam et clarius cognoscendam esse, contendat. Quid quod nec in hoc ipso aliorum consensu definitur. Ita enim Macuius etiam in Prodromo Iuris gentium, ad Imaginem DEI ius naturae consitui debere, arbitratur. Neque aliter sensisse uidetur Io. Fridericus Hornius, cum Cap. II, de Subiecto Iuris naturalis §. 4. scribit: *recta ratio denotat ipsam essentiam legis naturalis, hoc est, Imaginis diuinæ residua rudera sunt ius naturale proprie dictum: et §. 5: reliquiae imaginis diuinæ constituunt proprie dictum ius naturale.*

§. XVIII. Vt autem haec ipsa de RECTA RATIONE, principio Iuris naturalis, sententia recte intelligatur, praeter uarias uocis illius et diuersissimas significationes tres potissimum h. l. diligenter a se inuicem distingui oportet, quae apud Philosophos fere frequentissimae sunt. Sumitur scilicet ratio modo pro ipsa natura rationali, modo pro eius habitu naturali, modo denique pro actu, iudicio et imperio naturali uid. Commentatores ad quaest. 94. Art. I, P. II. Thomae. Non prima, sed secunda et tertia potissimum huius loci est. Et hoc sensu praeter ueteres quosdam moralis doctrinae auctores, H. Grotius rectam rationem pro principio Iuris naturae agnouisse uidetur, dum non modo hoc per *dictatum rectae rationis* describit, sed et, quid iuxta illud faciendum uel omittendum sit, *ex conuenientia uel disconuenientia actus alicuius cum natura rationali* aestimandum esse, docet, Verba eius haec sunt: *Esse aliquid Iuris Naturalis, probari solet tum ab eo, quod prius est, tum ab eo, quod posterius. A priori, si ostendatur rei alicuius conuenientia uel disconuenientia necessaria cum natura rationali ac sociali: a posteriori uero, si non certissima fide, certe probabiliter admodum I. Naturalis esse colligitur id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes tale esse creditur. Nam uniuersalis effectus uniuersalem requirit causam.* De I. B. et P. L. I. C. I. §. 10. 12. Consentit Io. Christophorus Becmannus, dum in Lineis doctrinae moralis Cap. I. §. 2. istam definit per *Prudentiam uiuendi secundum rectam rationem*, et paulo post, *omnes demonstrationes in moralibus ex recta ratione petendas esse*, affirmat,

mat, ac §. 3. quicquid in moralibus est, in rectam rationem resolui, scribit. Similiter Samuel Strimelius in Praxiologia Apodictica C. VIII, §. II. *id demum honestum iudicat, quod cum ratione concordat.* Indeque §. 12. hanc quasi fundamentalem propositionem deducit: *quodcunque per se rectae rationi congruit, illud, utpote ex natura DEI ultimo descendens, bonum morale naturale audit: etsi postea in Originibus moralibus aliud principium Iuris naturalis constituit, de quo paulo post uidebimus.* Gemina huic est propositio I. Hoppii: *Quicquid recta ratio ita faciendum aut omitendum inculcat, ut actum contrarium turpens aestimet, illud est Iuris Naturae.* Comm. ad Inst. L. I, tit. 2. p. 24.

§. XIX. Maxime cognata huic sententiae illa est, quae principium Iuris naturalis primum ponit in INTRINSECA ACTIONVM HONESTATE ET TVRPITVDINE, aut in his et similibus propositionibus inde deductis: *per se ac suapte natura honestum est appetendum, et, per se ac suapte natura turpe est fugiendum.* Hoc post ueteres quosdam Scholasticos inter recentiores prae ceteris a Velthemio defensum esse, constat, qui tanti id facit, ut eum, *qui Primitatem eius negat, in iuris naturalis studio cum laude et emolumento proficere, deque solida eruditione sibi gratulari non posse,* existimet. Introd. ad H. Grotii Opus p. 26. conf. p. 261. seqq. Quoniam uero intrinseca illa siue obiectiua, quae uocatur, ipsamque legislatoris uoluntatem antecedens bonitas potissimum sanctitate et iustitia diuina nititur, non diuersum a principio modo dicto uidetur esse istud, quod Pufendorffius Theologis Lutheranis familiare esse, scribit in Spec. Controu. Cap. IV, §. 3. *Quicquid cum Iustitia DEI essentiali congruit, id lex naturalis hominibus praecipit, Quicquid eidem repugnat, eadem lex hominibus interdicit.* Ceterum quae de hoc argumento post H. Grotium inter Iosuaam Schvvartzium, Ioh. Ad. Schertzerum, Valent. Alberti, Io. Ioachimum Zentgrauium, Samuelem Strimelium, Nicolaum Becmannum etc. ex una, et inter Sam. Pufendorffium eiusque sectatores, ex altera parte disputata, et lippis atque tonforibus nota sunt, data opera hic praeter-

termitto: cum praesertim plerique potius de eo, utrum intrinseca eiusmodi honestas et turpitude existat, quam utrum primum Iuris naturae principium sit, inter se contendisse uideantur.

§. XX. Nihil uero magis huic et proxime antecedenti §. expositae sententiae aduersatur, quam principium et definitio Iuris naturae Romani Iuris consultis et interpretibus quibusdam probata, qua illud dicitur esse id, *QVOD NATVRA OMNIA ANIMALIA DOCVIT*. Hanc ab Vlpiano aut (ut Rachelius de Iure N. et G. Diss. I, §. 2. et Io. Frid. Hornius de Subiecto Iuris naturalis Cap. II, §. 14. existimant) potius a Triboniano traditam, et Inst. L. I, Tit. II, de I. N. G. et Ciu. repetitam alii defendunt, alii reiiciunt, alii quomodocunque excusandam et benigna interpretatione leniendam putant. Inter hos Iacobus Cuiacius, uerbis apud Hornium Cap. III, §. 2. citatis, *rem eam, putat, in hominibus ratione utentibus Ius naturale uocari, ad quam cetera animantia impetu naturae feruntur*. Consentiant Antonius Goueanus L. I, Variar. Lect. Cap. 19. et Matthaeus Wesenbecius in Comment. ad Inst. de I. N. G. et Ciu. Ex horum ergo sententia tali forsan ratiocinatione, quid Iure naturae praeceptum uel uetitum sit, cognoscetur: *ad quodcumque animantia omnia naturali quodam instinctu feruntur, id homini iure naturali praeceptum et faciendum est*. A. e. g. ad conseruationem sui, educationem sobolis etc. E. Vicissim: a quocunque omnia animantia per naturam abhorrent, id homini iure naturae interdictum, adeoque omittendum est A. e. g. a sui destructione etc. E.

§. XXI. Samuel Strimesius, qui in Diss. de Principio moralium omnium primo, Originibus moralibus inserta argumentum hoc ex instituto tractat, prae ceteris ad fundamentum omnium officiorum naturalium idoneum esse putat, quod Iustinianus sub initium Institutionum inter praecepta Iuris uniuersalissima commemorat: *SVVM CVIQVE TRIBVE*. Neque uero hoc cum Feldio, Rachelio, aliisque Iuris interpretibus in angustiore illa significatione accipit, qua ad solam Iustitiam distribu-

ti-

tiam restringitur, sed latius extendit, ut duo etiam priora Iu-
stiniani praecepta: *Honeste uiuendum*, et, *nemo laedendus*, imo
omnia officia, quae homini uel erga DEVM, uel erga seipsum,
uel erga alios obseruanda sunt, comprehendat. Lege ipsum l. c.
§. II. p. 105. seqq. add. Praxiologiae Apodicticae Cap. II, §. 5. p. 31.

§. XXII. Alii denique, cum ex nullo horum principiorum
separatim sumto omnia officia commode et perspicue satis de-
duci posse, animaduertentes, multa eiusmodi praecepta uniuersa-
lia coniungenda putarunt, ut adaequatum Iuris naturalis fun-
damentum constituerent. Sic ipse Imperator: *Iuris*, inquit, *prae-
cepta sunt haec: Honestè uiuere, alterum non laedere, suum cuique
tribuere* Inst. L. I, tit. I. Et Io. Seldenus de I. N. et G. iuxta disci-
plinam Hebraeorum, etsi magis et horum, quam suo iudicio,
septem Noachidarum praeceptis omnia superfruit, quae sunt
(1) *de cultu extraneo*, (2) *de maledictione nominis sanctissimi, s. Numinis*, (3) *de effusione sanguinis s. homicidio*, (4) *de turpitudine
ex-concubitu*, (5) *de furto et rapina*, (6) *de Iudiciis, s. regimine
forensi ac obedientia Ciuili*, (7) *de membro animalis uiuentis non
comedendo*. Vid. inpr. Lib. I, cap. 10. Ad alias septem pro-
positiones uniuersales demonstrationes morales reuocat Ro-
bertus Scharrockius, quas de Officiis secundum Ius naturae Cap.
II, n. 12. ita recenset: *nemini innocenti damnum inferre: fidem
seruare: bene merenti par retribuere: ea facere, quae propriae
promouent felicitatem: prolem procreare quam maxime felicem:
consanguineis bene facere bene moratis: hominibus prodesse sangui-
ne non coniunctis*. De his confidenter pronunciat, quod sint *placita naturae prima*, ex quibus ceterae eius leges ut *immortales con-
clusiones ab immortalibus principiis deriuentur, per quae distinctae
species actionum honestarum statuuntur, et quisque, quid sibi conuen-
niat, possit iudicium facere*. Add. Ant. le Grand Inst. Phil. P. X. Art.
8. §. 8.

§. XXIII. Idem agere uidentur, qui DECALOGVM pro
I. N. fundamento amplectuntur, ut Phil. Melanchthon Philof.
Mor. p. 425. Nic. Hemmingius in Apodictica methodo de lege
Na-

turae A. 1577. Viremb. ed. G. Calixtus Theol. Mor. p. 60. et iam olim Philo Iudaeus Lib. quem de Decalogo Iuris summa inscribit. p. 744. Opp.

§. XXIV. Sed cum hi modum prorsus excessisse, superiores autem in officiis omnibus Iuris naturalis ex uno eodemque principio deducendis, frustra se torisise uideantur, mediam quasi uiam ingressi sunt, qui propositiones illas in pauciores contraxerunt, et pro uarietate triplicium officiorum, tria quoque principia in suo genere prima constituerunt, scil. AMOREM DEI, SUI IPSIUS, et HOMINUM ALIORUM. Ita I. G. Scaliger praef. L. I. Epidorp.

Natura, inquit, tribus legibus agitantia vitam

Nutu rationis luce caelitus paratae

Vult fulta; quasi has dedit esse comiteatum.

Numen cole summum. Tibi prima, ultima meta haec.

Ne prodige te, nec tua prodige negligendo.

Ne cui facias, qua tibi facta non placent.

Isis tribus omnis capitur beatitudo.

Quam qui nibili fecerit, exibat inanis.

Eadem sententia est I. H. Boecleri, qui in Annot. ad Grotium *Ius naturae intra tria haec fundamenta scil. in amore DEI, in amore sui, et amore proximi stare*, ex S. codice docet, cujus uerba repetit et suffragio suo comprobat celeb. Cancellarius Tubingensis D. Io. VVolfgang Jaegerus in obseru. ad H. Grotii libros de I. B. et P. non ita pridem editis, obs. I, p. 17. et obs. 8. p. 62. Consentit Hugo de Roy, dum lib. I. de eo, quod iustum est, tit. III, §. 5. *Iuris*, inquit, *naturalis rationalis duo sunt capita: quorum primum est, diligere DEUM creatorem suum; secundum est, diligere proximum aequae ac se ipsum.* Idem spectasse uidetur Rich. Cumberlandus, dum in disquisitione Philof. de Legibus naturae, ex *benevolentia* regulas officiorum humanorum deriuat. Hanc enim *latissime diffusam, officiorum nostrorum principium, mensuram, regulam, unicamque legem esse*, affirmat, eamque ad totum systema rationalium, cuius partes facit DEUM et homines, extendit, ut adeo

C

pieta-

pietatem et humanitatem b. e. utramque L. N. tabulam sub se complectatur. Denique nec alienus ab ista opinione est Celeb. D. Buddeus, dum in Elementis Philosophiae Pr. P. II, C. 4. §. 22. p. 249. seqq. de hoc argumento ita iudicat: *Omnes istos frustra se torquere, arbitror, qui unum aliquod principium quaerunt, quod omnia officiorum genera sub se complectatur. Namque tres sunt diuersi termini siue obiecta, ad quae actiones hominis tendunt, et cum quibus sunt conferendae. Vnde tres iurisprudentiae naturalis partes totidemque principia in suo genere prima resultant.* Hinc §. XXVI. pergit: *In prima Iuris prudentiae naturalis parte non aliud principium agnosco, quam istud: DEUM cole. Consistit autem cultus DEI in amore DEI. -- Altera Iurisprudentiae naturalis pars leges suas rite deriuabit ex hocce principio: temperanter uiue. Sine eo hominem non posse conseruari, experientia docet. DEVS autem cum uelit, ut homo se conseruet, ordinatum earum rerum, quae huc pertinent, usum iubet. In tercia denique parte militat illud: Sociatiter uiue.* Add. eiusdem historia Iuris naturalis §. XLVII. pag. 67. 68.

§. XXV. Sed ne nimis B. L. patientiam recensendis diuersorum auctorum opinionibus fatigemus, missis reliquis, quae uel minus celebres sunt, uel ab haecenus recensitis non multum discrepant, propius ad institutum uenimus, et, quid de singulis iudicandum, aut in quo potissimum acquiescendum sit, ea, quae fieri poterit, cura et diligentia anquiremus.

CAP. II.

In quo status controuersiae proponitur.

§. I.

DE IURIS uocabulo inter omnes constat, id triplicem potissimum habere significationem. Sumitur enim (1) pro *attributo actionis* siue pro iusto, modo in sensu aiente pro eiusmodi actione, quae lege praecepta est, modo in sensu negante, pro ea, quae non illicita est. (2) pro *attributo personae*, h. e. ut cum

cum Grotio loquar, pro qualitate morali personae alicui con-
petente ad aliquid iuste agendam uel habendam (3) pro lege, siue
pro multarum legum homogenearum complexu. Leg. de hac
distinctione H. Grotius de I. B. et P. lib. I, cap. I, §. 3. 4. 9. Guil.
Grotius de Principiis Iuris naturalis Cap. I, §. 3. Sam. Pufendorf
de I. N. et G. L. I, C. I, §. 20. Io Henr. Boeclerus Comment. in
Grotium p. 79. etc. Non male autem Val. Alberti Compend.
Iuris Nat. P. I, p. 21. 22. de prima significatione obseruat, eam
potius consequens Iuris esse, adeoque minus accurate et popu-
lari potius, quam philosophico stylo Ius appellari. Qua forsan
ratione ductus etiam Pufendorffius l. c. duas tantum posteriores
significationes recenset, ex quibus postrema potissimum huius
loci et instituti est.

§. II. Neque uero per Ius h. l. legem quamcunque, sed
NATVRALEM intelligimus, h. e. diuinam illam, quae ipsi na-
turae humanae siue, ut sacrae literae loquuntur, cordi hominum
inscripta, adeoque etiam sine externa promulgatione nota est,
et ad ea, quae per se bona sunt, et per sanctitatem ac iustitiam
diuinam nonnisi praecipi possunt, amplectenda, ad ea autem,
quae per se mala sunt, h. e. per bonitatem, sanctitatem et iusti-
tiam diuinam nonnisi uetari possunt, fugienda uos obligat. Vnde
eam cum a lege humana quacunque, tum ab ipsa diuina uo-
luntaria, secus ac Dn. Cocceius supra laudatus aliique existimant,
non tantum ratione promulgationis, sed et ratione obiecti di-
stinguendam putamus.

§. III. Hoc ipsum *Ius naturale* modo late siue potius *adae-
quate* accipitur, ut non minus officia erga DEVM et erga agen-
tem ipsum, quam erga alios obseruanda praescribat, modo an-
gustius et *inadaequate*, ut nonnisi ad ultimi generis officia se ex-
tendat. Leg. Grotius Prol. de I. B. et P. §. 8. 9. seq. Quod si poste-
riori modo sumatur, societatis custodiam recte explicatam
principium eius constitui posse, facile concesserim, neque aliam
uel Grotii l. c. uel Pufendorffii, cuius uerba de socialitate supra
Cap. I, §. 6. protulimus, sententiam fuisse, manifestum est.

Quaeritur autem h. l. de Principio Iuris naturalis adaequate accepti.

§. IV. Dum vero de *Iuris* principio solliciti sumus, eo ipso ab instituto hoc remotissima uolumus *facta* hominum. Neque enim, ex quo fonte aut principio plerumque hominum actiones proficiscantur, sed ex quo proficisci, & iuxta quod institui debeant, scire desideramus. Quod inprimis aduersus Hobbesium obseruandum, qui, dum perperam ista confundit, principium I. N. utilitatem priuatam fingit, quia scil. de facto homines in statu naturali ex ea omnia aestimare, animaduertit.

§. V. Vt ad ipsius PRINCIPII considerationem ueniamus, ante omnia ex Metaphysica, (quam hic sui contemptum grauiter in nonnullis uindicasse, deprehendo) repetenda est uulgaris illa *distinctio inter Principium essendi & cognoscendi*. Scil. principium essendi Iuris naturalis, a quo et per quod in esse suo, ut cum Philosophis loquar, constituitur, uoluntatem diuinam esse, utraque manu concedimus: quia nullum ius sine obligatione, nulla autem obligatio sine uoluntate legislatoris, fingi, nedum existere potest. Neque aliud probant, quaecumque a D. Cocceio integro libro disputantur. Sed quaeritur h. l. de principio cognoscendi, siue, unde scire possimus, hoc uel illud iuxta uoluntatem DEI iure naturae expressam et comprehensam, praecipuum esse uel uetitum. Hoc uero in uoluntate uel sine a DEO intento quaerere est τὸ ἐν ἀρχῇ petere, et aliud respondere, ac rogatur.

§. VI. Ceterum tametsi a *uoluntate DEI*, tanquam principio essendi proxime ac praecipue, non tamen ab ea sola, tanquam ab ultimo fonte, Ius naturae deriuamus, sed aliquid prius in signo rationis esse, statuimus, propter quod uoluntas diuina aliud praecipere uel uetare non potuerit. Vnde adeo in se, quicquid Pufendorfiani in contrariam sententiam disputent, uerum esse iudicamus illud Grotii, Velthemii aliorumque pronunciatum: per se et sua natura honestum, siue, ut alii loquantur, quod cum obiecto suo et DEI ipsius sanctitate, iustitia ac bonitate congruit,
lu-

Iure Naturae praeceptum et appetendum; per se et sua natura turpe interdictum ac fugiendum est. Imo nec magnopere repugnabimus, si quis illud ad principium essendi Iuris naturalis retulerit, quandoquidem non modo uoluntatem DEI legislatricem moderatur, sed et ad naturam obiecti legis naturalis in primis pertinet, atque adeo essentiam huius ingreditur. Sed pro principio cognoscendi non magis, ac ipsa uoluntas DEI agnoscere potest.

§. VII. Porro cum principio cognoscendi non confundenda est origo et propagatio *Iuris naturalis*. Nam ad hanc pertinet, quo tempore, et in quo homine initium ceperit, qua fortuna conseruatum, propagatum et labefactatum fuerit, indagare: per illud autem, quid iuxta legem naturae facere uel omittere conueniat, diiudicandum et cognoscendum est. Quod si ergo de origine Iuris naturalis quaeratur, id ex statu integritatis repetendum et residuam imaginis diuinae particulam esse, facile largiemur. Sed statum illum sat euidens cognoscendi Iuris naturalis principium esse, negamus.

§. VIII. Similiter a principio distingendum est *medium* praecepta I. N. ex principio eius cognoscendi. Hoc enim esse rectam rationem, quae principium legitime applicat, et conclusiones inde deducit, facile concedimus, imo illam necessario ad has requiri, affirmamus. Quemadmodum enim ex accuratissima etiam mensura, si male applicetur, uera rei mensurandae magnitudo cognosci non potest, ita nec optimum et uerissimum I. N. principium ad singula eius officia recte cognoscenda sufficiet, nisi per rectam rationem singulas actionis circumstantias, diligenter ponderantem ita, ut par est, ad illam accommodetur. Sed quaeritur h. l. tantum de principio ipso cognoscendi I. N. Leg. Vedellii Rationale, L. I, c. 10. et cum eo comparetur Io. Musaeus de Vsu principiorum rationis in controu. Theol.

§. IX. Ipsum hoc principium ratione obiecti duplici modo intelligi potest. Nam aut *existentiam* alicuius rei, h. l. Iuris N. aut *essentiam* et naturam eius cognoscere et probare studemus.

Nos h. l. existere aliquod Ius naturae, seu, quoddam uoluntatis diuinae decretum cordi hominis inscriptum esse, ut concessum, et ab aliis iam pridem demonstratum, sumimus, adeoque nonnisi de principio cognoscendi naturam eius solliciti sumus; siue, quod eodem redit, non, *quod sit* aliquod Ius naturae, sed *quid sit* Iuris naturalis, ex certo aliquo et uniuersali iudicio discere cupimus.

§. X. Principii huiusmodi condiciones breuiter et accurate describit Aristoteles, quando Lib. I, Anal. poster. C. 2. ἀνάγκη, inquit, τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιπέμην ἐξ ἀληθῶν ἵ εἶναι, καὶ πρώτων καὶ ἀμεσῶν καὶ γνωριμωτέρων, καὶ αἰτίων τῶ συμπεράσματος. ἕτως γὰρ ἔσσονται αἱ ἀρχαὶ οἰκείαι τῶ δεικνυμένῃ. *Oportet scientiam demonstratiuam esse ex ueris, et primis, et immediatis, et notioribus, et causis conclusionis. Sic enim erunt principia domestica eius, quod demonstratur.* Ex huius igitur praecepto pariter ac ceterorum omnium Philosophorum consensu, principium Iuris naturalis debet esse (1) ἀληθῆς, uerum et omnis falsitatis aut erroris expers. Vnde illud Ictorum Rom. admitti non potest, I. N. esse, *quod natura omnia animalia docuit*, cum in bruta nullum prorsus ius cadere, pridem ab eruditis demonstratum sit. (2) πρώτων καὶ ἀμεσῶν, *primum et per se notum*, quod non demum per alium medium terminum siue per aliud principium cognoscendi directe et a priori demonstrari opus habeat; ipsum uero fundamentum sit, ex quo omnia reliqua deduci et demonstrari possint, quo nomine etiam *adaequatum* uocari solet. Vnde nec *praecepta Noachidarum* e. g. de maledictione Numinis, de homicidio, de furto et rapina etc. nec similes *Scharrockii* uel aliorum *propositiones* cap. praec. §. 22. allatas, quae manifestae conclusiones sunt, et ne quidem coniunctim sumtae totum Ius naturae exhauriunt, pro genuinis principiis I. N. agnoscere possumus. (3) γνωριμωτέρων, *euidens* et notius conclusionibus inde deducendis, imo ita comparatum, ut unicuique sanae rationis usu praedito facile pateat, neque longa et operosa inuestigatione indagandum sit. Vnde *status integritatis* in se spectatus, et quatenus nonnisi ex reuelatione notus est, principium

pium I. N. haberi non potest: (4) *ἀριστοῦ causale*, h. e. ratio a priori, ut demonstratio, quae dici solet, *τῷ δὲ ἰσθί* inde oriatur, siue ceteroquin sit causa realis, siue saltem uirtualis. Quo ipso *consensus gentium, socialitas, et propriae utilitatis studium* quocumque modo explicatum remouetur. Neque enim quaerenti: cur DEVS sit colendus? recte respondebitur: quia gentes pleraeque omnes id faciunt, aut, quia ratio status, societatis, aut utilitatis id postulat: etsi ceteroquin duo posteriora in certo genere officiorum tanquam rationes a priori admitti posse, non negamus. (5) *Δημιουργία* seu *domesticum* h. e. Juris nat. disciplinae proprium, non uero alienum aut commune. Vnde e. g. recta ratio uel propterea principium I. N. non satis commode constituitur, quia ad theoreticas disciplinas omnes non minus atque ad Practicas pertinet.

§. XI. Omnes has principii conditiones et clarae et extra controuersiam positae sunt: Saltem circa alteram obseruetur, 1. aliud principium esse absolute primum, quod scil. (α) nullo prorsus modo demonstrari potest, et (β) fundamentam simpliciter adaequatum est, ex quo omnes aliae cuiuscumque generis conclusiones siue mediate siue immediate demonstrari possunt, ut commune illud: Nihil potest simul esse et non esse: aliud primum in certo genere, quod (α) saltem per se sine medio innotescit, et non opus habet ex alio demonstrari, etsi forsan ex eo demonstrari possit. (β) fundamentum est, ex quo certi tantum generis conclusiones omnes deduci possunt e. g. DEVS est colendus etc. Vnde 2. plura principia respectu diuersi generis conclusionum prima et adaequata esse posse, arbitramur, atque adeo *τῷ ὑπόκειν* ad rationem principii primi non necessario referendum putamus, imo nec a quoquam Philosopho erudito huc relatum deprehendimus.

§. XII. Ceterum unum idemque principium cognoscendi duplici ratione exprimi et proferri solet, modo *incomplexo*, siue, ut cum philosophis loquar, tanquam terminus simplex, e. g. *Socialitas, Status integritatis*, etc. modo *complexo*, siue ut propositio universalis affirmans uel negans, praecipiens uel ue-

tans.

tans. Ita e. g. socialitatis defensores duas propositiones fundamentales constituunt: 1. *Quicquid, si ab omnibus negligetur, societatem destrueret, illud I. N. praeceptum est*, 2. *Qc. si ab omnibus fieret, societatem euerteret, I. N. interdictum est*. Quales propositiones ex statu integritatis a Val. Alberti deducantur, iam supra C. I. §. 15. vidimus. Itaque nos etiam h. l. non magis de principio I. N. incompleto, quam complexo solliciti sumus.

Cap. III.

In quo uera de principio I. N. sententia proponitur, et praecipuae aliorum opiniones cum ea comparantur.

§. I.

SI ex omnibus opinionibus Cap. I. recensitis una eligenda fuerit, nullam nobis magis, quam ultimam, probari, fatemur. Ac tamen nonnulla sunt, quae illi forsitan opponi possent, his tamen commoda explicatione et leui quadam restrictione facile occurreretur. Qua proinde adiecta, tali modo eam repetimus, et pro nostra agnoscimus: *Amor DEI, sui ipsius et hominum aliorum subordinatus uerum iuris Nat. principium est*.

EXPLICATIO.

§. II. De *Amore DEI* multa iam pridem inter Doctores Scholasticos, et nostra etiam memoria a Mysticis quibusdam scriptoribus acute et subtiliter disputata sunt, quae in praesenti omnia excutere nostri non est instituti. Saltem teneatur, cum diuidi solere in *amorem complacentiae*, quo DEVM prosequimur, ut bonum absolutum, quia scil. quicquid bonum, perfectum et excellens fingi aut cogitari potest, imo potius multo plus perfectionum, quam ulla cogitatio assequi potest, complectitur: unde summa eius ueneratio oritur; et in *amore concupiscentiae*, quo in DEVM ferimur, tanquam bonum relatiuum, a quo non tantum toti sumus ac pendemus, sed et plurima beneficia, imo quicquid uere bonum et optabile est, nobis polliceri possumus.

Vn-

Vnde spes et fiducia in eum oritur. Hanc distinctionem illi etiam innuisse uidentur, qui DEVM *Optimum Maximum* cognominarunt, per alterum scil. bonitatem, per alterum magnitudinem et perfectionem diuinam indicantes. Non nisi priori amore DEVM colendum esse, iam olim Epicurei, ex suo scil. principio, quo prouidentiam diuinam inficiabantur, affirmarunt. Leg. Cicero de N. D. L. I. Gassendus Eth: L. II. C. 6. Idem, ex diuerso licet capite, Doctores Mystici defendunt, et amorem posteriorem, tanquam mercenarium, in homine sancto ac perfecto, quoad eius fieri possit, prorsus extinguendum esse, affirmant. Quam sententiam post alios sub finem superioris seculi probauit notissimus hoc nomine Archiepiscopus Cameracensis Franciscus Salignac Fenelonius, ea occasione, in coetu Romano a Bosueto, Noaillo, Goderio, reliquis, inter Protestantes uero a Saurino, la Placette, aliisque confutatam, et ab Innocentio XII. P. R. anno 1699. tandem proscripam. Contra ea in alterum extremum prolapsi sunt, et solum amorem DEI concupiscentiae in homine locum habere posse ac debere, contenderunt quidam Fenelonii aduersarii, et inter hos praecipue auctor Apologiae ueri amoris DEI, anno 1698. Amstelodami editae. Nos uero mediam sententiam amplectimur, atque adeo, neutrum amorem ab altero seiungendum esse, existimamus, ita tamen, ut amor complacentiae primum, amor uero concupiscentiae secundum locum teneat, atque adeo hic illi subordinetur. Ipsa enim sana ratio dicat, optimum quodque maxime esse adamandum, DEVM uero omnium bonorum esse praestantissimum, adeoque ceteris omnibus praeferendum, ne nos ipsos magis, quam illum diligere uideamur, atque in amorem inordinatum incidamus. Ceterum ut h. l. non quaecumque uoluntatis diuinae decreta, sed ea tantum, quibus Ius naturae continetur, inuestigamus, ita nec alium DEI amorem, quam qui naturae lumine innotescit, intellectum uolumus. Alias enim principium latius pateret, quam principiatum, aut quae iuristantum positiui sunt, cum iure naturali confunderentur. Vnde e. g. Sabbathum septimo die, et speciatim die Solis celebrandum iuris naturalis esse, nemo dixerit.

D

Quam-

Quamuis enim haec cultus publici *περισσόως* ad amorem cultum-
que DEI pertineant, tamen ex amore DEI per naturam noto
deduci non possunt.

§. II. *Amor sui* alias Philautia dictus, si generatim confi-
deretur, non male per sui perficiendi et conseruandi studium
describitur. Cum enim homo non tantum corpore, sed et
anima constet, illud, ut corruptioni obnoxium multisque ca-
sibus expositum, conseruatione opus habet, haec uero, utpote
immortalis et interitus expers, saltem perfici, siue potius mor-
bis suis, ut imprudentia, errore, prauo appetitu, etc. qui homi-
nem in ipsum uitae ac fortunarum discrimen saepe coniici-
unt, liberari debet. Ex illius cura perpetuitas et commoditas,
ex huius uero cultu felicitas uitae humanae potissimum pendet.
Hic amor, cum homini naturalis, atque adeo ab ipso autore na-
turae inditus sit, per se malus esse nequit: sed a Philautia pra-
ua, quam recte morbum animi dixeris, longissime disiunctus est.
De hoc enim recte Plato: πάντων, inquit ἀμαρτημάτων διὰ τὴν σφοδρὰ
ἐαυτοῦ φιλίαν ἄριστον ἐκείσθω γίγνεται ἐκείσθωτε. L.V, de Legibus. p.73. ed. Ser.
Duplici autem potissimum modo Philautia legitima et uitiosa in-
ter se differunt (1) quod illa nonnisi uerum bonum appetit, haec
uero in ea fertur, quae tantum speciem boni mentiuntur, reuera
autem homini nocent potius, quam profunt, aut, si uel maxime
in praesenti grata et utilia sint, multo tamen maiora deinceps
damna et detrimenta post se trahunt: non secus ac ex ma-
ligna febricitantium uoluptate, quam ex gelidae potu capiunt,
mox acerbissimi dolores consequuntur. (2) Philautia legitima
suo quodque loco et ordine expetit, nec minus bonum maiori-
bus praefert, et ita denique commodis suis inferuit, ut amori
aliis debito, de quo mox dicemus, nihil detrahatur: contra Phil-
autia praua, si uel maxime aliquando uerum bonum expetere
uideatur, id ipsum tamen maius aliquod postponendo corrup-
pit. Accedit 3. quod illa ad facultatem animae rationalem per-
tineat, atque adeo feratur in id, quod intellectus bonum iudi-
cauit, haec uero plerumque illud tantum appetat, quod sensi-
bus gratum atque iucundum est. Leg. Iac. Thomasi Diss. de Phil-
autia. add. Pufendorffius de I. N. et G. L. II, C. III, §. 10.

§. III.

§. III. *Amor alterius* siue, ut cum vulgo loquar, *proximū* quasi pro mensura habet amorem sui, adeoque ex illo optime intelligi atque diiudicari potest. Hinc oriuntur praecepta illa uniuersalia de officiis erga alios: *Dilige alterum, sicut te ipsum, et, quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris*: quibus cum unoquoque sic agere iubemur, quomodo nobiscum agi uellemus, si in eo essemus loco, in quo est ille, cum quo agimus. Posterius inprimis ab ipso Seruatore traditum praeter ceteros Schneidev. Iurispr. Nat. c. I. §. 7. pro Iuris naturalis principio amplectitur: non male profecto, si ius in strictiori significatione, qua *κατ' ἐξῆς* officia erga alios notat, accipiatur. Ex eodem hoc fonte ipsa societatis custodia optime deriuatur: quae certe, nisi amorem pro fundamento habeat, parum idoneum I. N. principium constituet. Ceterum, ut per amorem sui nonnisi bonum, ordinatum et rationalem intelleximus, ita nec amor alterius aliter explicari debet. Quo uno obseruato, facile occurritur iis, quae a nonnullis contra principii huius uniuersalitatem disputantur. Leg. Sharrock de Officiis sec. Ius Nat. c. II. n. 2. et Reyherus in Notis p. 127. Add. Pufend. de I. N. et G. L. II. III. c. §. 13.

§. IV. Ceterum non sine causa amorem DEI, sui, et aliorum *subordinatum*, Iuris naturalis principium constituere, diximus, qua uoce cum triplicis huius amoris conjunctionem, tum ordinem requirimus, ut scil. non modo nullus amor alterum pellat aut euertat, sed et primus posterioribus anteponatur. Vnde nihil amori nostri uel proximi conuenire iudicandum est, quod ullo modo cum amore DEI pugnet, nec quicquam ex uero ac legitimo nostri ipsorummet amore proficisci potest, quod, si facias, amorem proximo debitum tollat aut labefactet.

§. V. Etsi uero ex haecenus disputatis, nullum genus amoris in quibuscunque actionibus moralibus, saltem ad nosmet ipsos, aut ad alios relatis, negligendum esse, apparet, tamen et illud facile intelligitur, officia erga DEVM ex primo, officia erga nos ipsos ex secundo, officia erga alios ex tertio amore, tanquam proprio fonte, esse deducenda.

§. VI. Quod si tandem propositiones fundamentales, pro
D 2 fin-

singulis officiorum generibus desiderentur, per se inde sequentes oriuntur:

I. Pro officiis erga DEUM: *Quicquid saluo amore DEI ex natura cognito omitti (fieri) non potest, illud iure Nat. praeceptum (interdictum) est.* Atqui e.g. preces ad DEUM fundendae, gratiae ipsi agendae, it. cultus externus ac publicus etc. (blasphemia, plurium Deorum cultus etc.) E.

II. Pro officiis erga seipsum retineri posset Chr. Thomasi propositio, quam ille quidem perperam pro adaequato totius I. N. principio uenditat: *Quicquid uitam hominum reddit et maxime diuturnam et felicissimam, illud est faciendum.* Sed, ut priori ἀνάλογον suppeditemus, simulque discrimen iuris nat. praeeptiui a concessiuo, et affirmatiui a negatiuo clarius exprimamus, istam eodem fere redeuntem substituere placet: *Quicquid, saluo amore sui, omitti (fieri) non potest, et amori DEO uel proximo debito non repugnat, illud I. N. praeceptum (interdictum) est.* Atqui e.g. animum uera religione, uirtutibus imbuiere, honestum uitae genus amplecti, quo alimenta corporis comparentur etc. (ζυροχρησία, mutilatio membrorum, intemperantia in cibo, potu, Venere, etc.) E.

III. Pro officiis erga alios similem in modum rationari possumus: *Quicquid, saluo amore alteri debito intermitteri (fieri) non potest, id iure naturae praeceptum (interdictum) est.* Atqui e.g. fidem et pacta seruare, depositum reddere etc. (homicidium, furtum etc.) E.

DEMONSTRATIO.

§. VII. I. *Ubicunque omnia requisita I. N. reperiuntur, ibi datur genuinum I. N. principium.*
A. in amore DEI, sui ipsius et aliorum etc. E.

Cum propositio sit extra controuersiam, assumptionem ex singularum illius principii conditionum ad amorem DEI, sui ipsius et aliorum accommodatione probamus. Nam

Veritatem huius praeepti, siue, quod amor eiusmodi uoluntati diuinae congruat, nemini, nisi forsitan ipsam DEI existentiam prorsus inficanti, dubiam esse posse, existimo. Neque uero argumenta a priori ad illud demonstrandum a nobis postulabit, qui

qui, eam principii naturam esse, cogitauerit, ut ueritas eius per se et sine medio innotescat. Prouoco igitur potius ad uniuscuiusque conscientiam, prouoco ad summum felicitatis desiderium omnibus hominibus insitum, prouoco denique ad ipsa oracula diuina, quae nihil crebrius, quam amorem DEI et proximi inculcant, manifesto iudicio, nos non errare, dum illum uoluntate diuina nobis praeceptum esse, iudicamus. Quod autem in eo amorem sui legitimum non exclusum uelint, omnibus illis locis testantur, quibus morigeris huius et illius uitae felicitatem pollicentur.

2. *Evidentiam* huius principii, qua etiam sine reuelatione e naturae lumine cognoscitur, praeter cetera confirmat communis populorum consensus. Nunquam enim ulla natio tam fera reperta fuit, quae omnem DEI cultum ignoraret aut cognitum inficiaretur. Amorem uero sui et perpetuum felicitatis desiderium quis non in seipso quotidie animaduertit? Nam, ut recte Seneca L. V. de Benef. c. 9, *homo a natura ad sui charitatem compositus est: unde summa cura est nocitura uitandi, profutura appetendi*. Denique praeepti de amore erga alios evidentiam non tam dicto Servatoris nostri Matth. VII. 12. quam eorum exemplis confirmamus, qui per se illius ueritatem agnouerunt. Ita Seneca L. III. de Ira, eo, inquit, *nos loco constituamus, quo ille est, cui irascimur. Nunc facit iracundos iniqua nostri aestimatio, et, quae facere uellemus, pati nolumus*. De Alexandro Seuero Lampridius in uita eius p. 577. memorat, eum clamasse saepius, idque per praeconem, cum aliquem emendaret, edixisse: *quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris, eamque sententiam usque adeo dilexisse, ut et in palatio, et in publicis operibus perferri iuberet*. Quin ipse Hobbesius, praeepta I. N. alioquin non parum peruertens, et omnia ad priuata utilitatem referens nihilominus C. III. de Cive art. 26. et Leuiath. C. 15. hanc regulam commendat, ut, *cum quis dubitet, an id, quod facturum in alterum sit, iure naturali facturum sit, nec ne, putet, se esse in illius alterius loco*. Neque uero tantum triplicem illum amorem in se, sed et *subordinationem* eius ex naturae lumine cognosci posse. uel illud nos admoneat, quod Socrates opponit Atheniensibus: *ωείσομαι τῷ θεῷ ἀείλον, ἢ ὄμην*. apud Platonem in Apol. Socr. p. 29. Sane idem fere mihi dicere uideretur, ac Apostoli simili de causa in iudicium uocati Act. V. 29. Neque obstat, quod multa ab intelligentia uulgi remota subtilius de amore disputari solent. Nam haec potius ad obiectiones aduersariorum refellendas aut occupandas, quam ad rei obscuritatem explicandam necessaria sunt. Pone enim, hominem plebeium e. c. distinctionem amoris complacentiae ab amore concupiscentiae his uocabulis expressam ignorare, tamen rem ipsam in actu exercito ut loquuntur Philosophi, quod scilicet DEVS uenerandus, et bona quaeuis ab ipso expectanda sint, optime intelligit. 3. Idem

3. Idem principium non quidem absolute, neque enim hoc postulatur, sed saltem in suo genere *primum* et *adaequatum* esse, constat ex eo, quod (α) iuxta haecenus dicta unicuique per se, etiam sine medio, innotescat, adeoque non opus habeat ex aliis demonstrari. Quicumque enim principia innata dari, concedunt, inter ea uno consensu referunt praecepta haec: *DEUM cole, te ipsum conserva, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Quam inanibus autem rationibus principia innata a quibusdam impugnentur, in Dissert. de principiis innatis contra Lockii obiectiones vindicatis Dn. Praefes ex instituto demonstravit. (β) quia nullum dari potest officium iuris naturalis erga DEVM, quod non ex amore DEI, nullum erga seipsum, quod non ex amore sui, nullum denique erga alios, quod non ex amore proximi commodissime deduci possit, cuius rei iam supra §. 4. exempla quaedam suppeditaui.

4. Idem principium *causale* est, cum ad amorem illum, quem diximus, tanquam ad rationem a priori, cur aliquid faciendum uel omitendum sit, recte prouocetur.

5. Denique etiam est *domesticum*. Neque enim ulli alii disciplinae proprium aut saltem commune est Non Theologiae, quia haec solum reuelationem siue Scripturam S. pro principio credendorum et agendorum agnoscit: nec philosophiae Theoreticae, quia huius obiecto, quod sunt tantum scienda et nuda cognoscenda, repugnat, habere principium practicum: nec denique ulli alii disciplinae practicae siue iuri, cum omne ius posituum, siue diuinum siue humanum, claris et expressis uerbis proponatur, adeoque nullo peculiari cognoscendi principio indigeat.

§. VIII. II. *Quodcunque principium cognoscendi I. N. ab ipso legislatore sapientissimo traditur, id optimum atque certissimum est.*

A. Amor DEI, sui ipsius et proximi etc. E.

Propositio iterum extra controuersiam est, cum legislatorem optimum et *αυτοκρατορικόν* legis suae interpretem esse, omnes agnoscant.

Assumptionem praeter multa alia Scripturae loca, quibus amor DEI, sui et aliorum hominum tanquam summa legis inculcatur, in primis luculentum illud oraculum Matth. XXII, 37. seqq. confirmat. Scil. ICrus quidam Iudaicus, quasi sapientiam Seruatoris exploraturus, ex eo quaerebat: *ποία εντολη μεγάλη εν τῷ νόμῳ*; quod iure mihi interpretari posse uideor: quodnam est principium cognoscendi I. N. Nam per *praeceptum magnum* intelligebat huiusmodi, ex quo reliqua omnia penderent atque diiudicari possent, iuxta comm. 40. *Lex* autem, cuius illa *εντολη μεγάλη* requirebatur, nec ceremonialis erat, nec forensis, adeoque moralis, decalogo comprehensa. Legem uero moralem et naturalem specie non differre, et hanc accurate perfecteque decalogo comprehensam esse, non tantum Theologi, sed ICri etiam doctissimi pridem, agnouerunt.

Leg

Leg. instar omnium ex illis Danhau. Coll. Decal. Disp. I, §. 20. p. 15. ex his Boeclerus Comm. in Grotium praef. p. 4. Quid uero ad hanc quaestionem Seruator respondet? *Diliges*, inquit, *Dominum DEUM tuum toto corde, tota anima tua, et in tota mente tua --- diliges proximum tuum perinde ac te ipsum. In his duobus mandatis tota lex et Prophetiae pendent.* ubi obseru. (a.) quod Seruator non necesse putet unum magnum praeceptum siue principium legis naturae constituere, dum plura ostendit. (β) etsi duo tantum, scil: amorem DEI et proximi diferte exprimit, tertium tamen nequaquam excludit, sed potius supponit, dum amorem sui tanquam mensuram amoris proximi, commendat. Vnde adeo (γ) sententiam nostram totidem fere uerbis comprobatur.

§. IX. III. *Cum quacunq[ue] sententia de principio I. N. optima et celebratissima quaeque ex ceteris facillime conciliari possunt, illa merito reliquis antefertur.*

A. *Cum sententia, quae amorem DEI, sui ipsius et proximi I. N. principium constituit etc. E.*

Propositionis Mai. ratio ea est, quia non postremum ueritatis *κρησιον* merito iudicatur analogica cum aliis ueritatibus consensio, et a falsitatibus dissensio.

Assumptionem probat inductio. Nam

1. non possunt sententiam nostram profus damnare, qui aut cum Zentgrauiio et Nitschio (ap. Kulp. Coll. Grot. Ex. I, §. 6.) *cultum DEI* aut cum Pufendorffio *socialitatem*, aut cum aliis *conseruationem sui I. N. principium* faciunt. Si enim singula haec, ex eorum sententia ad demonstranda officia I. N. sufficiunt, quanto magis uniuersa? et, si ex uno omnia deduci posse, putant, quanto magis quaedam, eaque principio suo omnium consensu maxime congruentia inde consequi, nobis largientur? Fateor certe, me non parum in sententia confirmatum fuisse, cum deprehenderem, eos, qui e. c. ex socialitate officia erga alios promte et concinne satis deducunt, simul ac officia erga DEVM, uel erga seipsum ex eadem exculpere conantur, uehementer laborare, rei difficultatem confiteri, uariisque ambagibus et incommodis se implicare: contra illis, qui conseruationem sui substituunt, omnia feliciter succedere, dum officia erga seipsum demonstrant, sed, simul ac ad officia erga alios, aut erga DEVM accedunt, aquam herere. Idem sane agere mihi uidentur, ac si quis una mensura res diuersissimi generis e. c. triticum, uinum et pannum emetiri conaretur.

2. Qui id sibi indulserunt, ut *plures propositiones morales* coniunctim sumtas pro principio I. N. amplecterentur, nec nobis uitio uertere poterunt, quod tria tantum capita uniuersalia coniungamus, cum praesertim haec ita adaequata sint, ut nec unum sub altero contineatur, nec ullum officium I. N. dari possit quod non ex uno illorum commodissime deducatur: quorum neutrum uel de Seldeni, uel de Scharrockii, uel de aliorum propositionibus supra prolatis dici potest. 3. Nec

3. Nec illorum sententia, qui *intrinsecam honestatē et turpitudinem* suae actō cum obiecto suo conuenientiam et disconuenientiam, aut *uoluntatem* DEI principium I. N. esse putant, nostrae repugnat, sed conuincibilissime potius subordinatur. Nam illi loquuntur de principio essendi, quod per principium cognoscendi nequaquam excluditur, sed omnino supponitur. Nam, si Ius naturae a primo initio repetatur, iuxta horum sententiam, *primo* DEUS, quid cum suae sanctitati, iustitiae et bonitati, tum naturae hominis rationali conueniret, intellexit. *Deinde* uoluntas diuina id, quod iuxta hanc conuenientiam uel disconuenientiam aliter decerni non poterat, praecepit uel interdixit. Quid uero ita praeceptum uel interdictum sit, id *demum* ex triplici illo amore omnium facillime ac rectissime cognosci et diiudicari potest.

4. Qui ad *rectam rationem*, aut, quod idem esse, supra docuimus, ad *reliquas imaginis diuinae* prouocant, nihil quidem, si recte intelligentur, falsi uel a sententia nostra diuersi dicunt, sed id, quod in se uerum est, saltem obscurius proponunt. Quid enim aliud est ratio illa, quam habitus principiorum connatorum, antiquis Philosophis *πρόληψις* et *συτήρησις* dictus? aut quid est dictamen rectae rationis, nisi aliquod ex illis principiis innatis? At enim non sufficit dicere, dari eiusmodi principia, et ex his praecepta I. N. consequi et aestimari debere, sed hoc imprimis postulatur, ut, quatenus illa principia sint, demonstretur. Alias enim quisque pro arbitrio et ingenii sui indole ea confingat, ut Hobbesius, qui, dum omne I. N. peruertit, nihilominus ad rectam rationem eiusque dictamen prouocat Cap. II. de Cive §. 1. Accuratum et egregium ea de re iudicium est Io. Seldeni. I. N. et G. L. l. c. 7. *personat quidem ubique: ὁ νόμος ἐστὶ λόγος ὁ ἐπὶ ὅσ, lex, maxime naturalis, est rectaratio, in quod unanimes satis consentiunt, etiam, qui de recta ratione immane quantum, sicut de gustu solemus, interim dissident: perinde ac si de mensura nomine quidem tenus, ueluti pedis ulnaeue, satis essent concordēs, de utriusque interea quantitate mire discrepantes.* Itaque nos Ius N. ex recta ratione aestimandum esse, minime negamus, sed simul etiam principia specialia rectae rationis, iuxta quae illa aestimatio fieri debeat, nominatim designamus.

5. Idem fere habendam est de principio illo Strimesiano: *Suum cuique tribue:* quod in se sane uerissimum esse, et adeo late extendi posse, fatemur, ut omnia officia imo et principia I. N. sub se complectatur. Sed nihil aliud uidetur dicere, ac istud: homini officia DEO, sibi ipsi, et aliis debita esse obseruanda. Qualia autem illa officia sint, ex eo ne hariolari quidem licet.

6. II, qui ex consensu gentium iudicium Iuris N. petunt, hoc nonnisi argumentum a posteriori esse, ipsi fatentur, adeoque salua sua sententia nobiscum sentire possunt.

§. X. Sed fusius ista persequi instituti ratio uetat. Vnde hic in praesenti acquiescimus, et quemadmodum non nisi modestē, quae in aliorum sententiis desiderari posse uidebantur, indicauimus, ita alios quoque nobis se aequos iudices praebituros esse, speramus.

FINIS

Wittenberg, Diss., 1711 A-Z
X 228 3123


VD 18

ULB Halle
005 309 336

3







B.I.G.

Farbkarte #13

16

2. D. B. V.

1711

19

8. 10.

9

IVDICIA ERVDITORVM

DE

PRINCIPIO IVRIS NATVRALIS

CVM VERA SENTENTIA COMPARATA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

P. 1.
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO ET ELECTORATVS SAXONICI
HEREDE &c. &c.

PVBLICAE DISPV TATIONI,
PRAESIDE

DN. M. IOANNE GVIL. IANO,
ORD. PHIL. ADL.

PATRONO AC STVDIORVM SVORVM AMPLI-
FICATORE AETERNVM COLENDO ET OBSERVANDO,

EXPONIT

M. CHRISTIAN SAMVEL CLARVS,
VITEMBERGENSIS.

A .M. DCC XI. d. Martii.

VITEMBERGAE PRELO KREVSIGIANO

KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVHALIE